









1699.

1. * Illmüller, Michael Guenther : Decanum Fac. med. . . .
Lectori benevolens s. p. J. (Programma, quo ad s. plen-
nem actum Michaelis Guentheri Illmülleri etc etc.
iuribus.
2. Alberti, Joh. Gottlob : De jure ecclesiarum circa
temporalia.
3. Barthius, Gottfried : De curato, non-confesso
498 Colerus, Joannes : De jemitibus s. Jemiter-Non-
men. 2 Sept. 1699 = 1719.
5. Friess, Fridrich : De prejudicio debitoris ex
scientia certioris occasione P. 3 P. de nov. et
deleg.
6. Gerhardus, Gottlob : De ceremoniis gentium circa
juramentum.
7. Goetze, Gottfried Christian : De confiscanda hereditate.
De ab inultam mortem

1699.

8. Menckenius, Ludovicus : An actio, et injuria ver- 15.
Cales inter amicum instituta et per sententiam
reijcta, propter incidentem prescriptionem,
plane sit extincta ?
9. Mullerus, Guypinus Emilius : De saltu naturae
10. Snellerus, Fabius : De officio hominis, quod
sibi debet. 16.5.
11. Puzosius, Conradus Tritonius : De sancti et vocant 17.5
Christi larvis et mensuris.
12. Schmidtius, Joh : De favore necessitatis. 18.5
13. Svenden Doerfferus, Bartholomaeus Terhardus : Anuo-
labores juris feudalis et lucubrationses j. R. 19.
Executatio VI. : De causa feudi efficiente.
14. Svenden Doerfferus, Barthol. Terhardus : Annotaciones juris
feudalis et lucubrationses j. R. executio VII. : De feudi
expectantia 20.

1699.

15. Sverdrup, Bartholomaeus Leonardus: Annotationes
juris feudalis et lucubrationses j. R. Secretaria VI.
De materia feudi.

16. Sverdrup, Barthol. Leonardus: Annotationes
juris feudalis et lucubrationses j. R. Secretaria VIII:
De modis constituendi et adquirendi feudum.

17. Sverdrup, Georg Godefr.: De iuris episcopalis
vacatione

18. Siglitz, Christ. Ludovicus: De immutabilitate juris
primogeniturae.

19. Wernherus, Joh. Balduinus: An violenta
defensio a diverso aggressore in casu necessi-
tatis sit permittenda?

20. Wernherus, Joh. Balduinus: De naturali honestate
viri juramenti impunitate.



1699

21. Wernerus, Joh. Burkhard: De principiis officiorum
humanae interis.

22. Wernerus, Joh. Burkhard: Iudicium de praecipuis
nonnullis scriptoribus juris naturalis

23. Wernerus, Joh. Burkhard: De modo obligationem homi-
num qua talium mutuum scientifice demonstrandi

1699, 1/5

DECANUS
SENIOR, CÆTE
RIQUE DOCTORES
ET ASSESSORES
FACULTATIS MEDICÆ

In


ACADEMIA LIPSIENSI

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

De
Medicina non conjecturali





7. D.



I mere conjecturalem asserere artem velimus Medicam, nulla facile contradictio nobis metuenda erit. Consentunt in eo, & qui Vanitates omnium Scientiarum Artiumq; cum *Henr. Corn. Anrippa* derident, & qui Augmenta illarum optant cum *Franc. Bacone de Verulamio*. Intempestiva plebis imperitæ judicia non attendimus, multo minus dictoria malevolorum: attamen rationes, ad impugnandam Medicinæ certitudinem afferri solitas, ab iis etiam, quibus hoc studium cordi est, prorsus contemnere haud licebit. Subjectorum varietas profecto vel sola sufficit ad confundendum alioqui optimum virum. Notissimum est, aquas antapoplecticas cæterasq; spirituosas aliter in virorum gratiam parari, addendo moschum ambramque: aliter pro fæminis, quippe quarum plurimæ hujusmodi suaveolentia detestantur ac ne olfaciunt quidem absque insigni passionis hystericæ periculo. Sed magis mirandum, dari etiam viros nauseatores, quemadmodum *Lentilius in Ephem. Germ. Dec. II. Ann. IX, Obs. 180.* narrat, se vidisse magistrum equitum, qui ægerrime ferebat moschi odorem, ut quoque deliquium pateretur, nisi ab eo sibi caveret omnibus modis. Numquid gratius est rosis? quibus inter flores cordiales merito primus assignatur locus. No. bi.

bilem nihilominus Venerum, monachum ex ordine
Dominicorum ilico in syncopen incidisse & instar mor-
tui prostratum humi jacuisse, quotiescunque rosæ odo-
rem persentiret aut e longinquo eam cerneret, testatur
Amatus Lusitanus Cent. 2. Cur. 26. Quis vinum respuat?
cujus laudes hucusque nemo digne deprædicavit; ab-
stemii tamen in utroque sexu haud pauci occurrunt, ad
quorum curationem illud ne quidem enemata vel epi-
themata secure ingreditur. Atqui hæc & similia idio-
syncrasia mirabilis exempla satis luculenter ostendunt,
neminem in medendo tam certum existere posse, quin
eventus aliquando contrarius ac infelix sequatur. Nec
parum auget difficultatem Artis, quod plerique morbi
latitent interius, nonnunquam cæci omnino, ut vix con-
jectura illos assequi valeamus. Plures conveniunt in-
ter se, ac eandem quasi faciem præ se ferunt, similitudine
sua confundentes ac decipientes incautum quemcun-
que. Complicantur alii nexu tam intricato, nec in tan-
to symptomatum diversissimorum concursu locum re-
linquunt iudicio, quis primarius vel secundarius sit affe-
ctus, quæ sit vera sedes illius mali, &c. Quid si morbi ap-
pareant plane novi? hætenus a nomine nominati,
nedum descripti; quis ausit definire tales, vel cura-
re absque hæsitantia? Ut taceamus, in se prorsus
incurabiles quoque occurrere; quorum medicationem
tentare idem est, ac oleum & operam perdere. Rarius
autem intelligimus ab initio, quis exitus ægritudinis fu-
turus sit; habent enim prognostica signa non minorem
difficultatem quam diagnostica. Quæ communiter de-
sumi solent ex pulsu vel inspectione lotii, sunt & fallacia,
& jam pridem a politioribus explosa. In reliquis signo-
rum fontibus dum fluctuat animus, periclitatur haud
raro vita ægrorum pariter ac Medicorum fama. Eva-
dunt

dunt sæpius præter omnem expectationem alii: alii
pereunt ex improviso, quicquid loquantur dies Critici.
Fatentur hodie rustici paulo cordatiores, prædictiones
illas veterum circa mutationes æris instantes, frigus
æstumque, siccitates atque pluvias vel inundationes me-
tuendas, regulas tempestarum vocant, nil valere ampli-
us, seu calendarii reformati culpa, seu a telluris motu
vertiginoso id fiat. Utinam resipiscant aliquando, qui
nimis fidunt obsoletis traditionibus, easque audacter a-
deo ac impudenter propagare nituntur, ut vel hoc no-
mine male audiant. Enimvero haud sufficit nosse mor-
bos ac prævidere quodammodo eorundem exitum; nisi
de causis & antecedentibus & præsentibus constet, ut-
pote quarum intuitu necessum est frequentius omnem
mutari medendi methodum. Idem febrium genus ori-
tur modo a terrore vel ira, modo a refrigerio vel æstu
nimio, modo ab errore in victu, atque sic porro. Pro-
deritne cunctis idem febrifugum? nil minus. Sed in
tanta remediorum abundantia quis determinabit, num
acidum vel alcali, salsum, acre, amarum, an vero insipi-
dum sit recipiendum. Adstringentia propinare, si al-
vus fuerit pertinaciter suppressa: diaphoretica, ubi æ-
ger sudoribus pene diffluit: opiata, cum torpor & somno-
lencia concurret, non videtur consultum; adeo & ipsa
symptomata variant medicamentorum exhibitionem &
consilia tempore opportuno haud contemnenda. Sed
quam misere fallax erit experientia, si quod mille alios
egregie juvasse vidimus, nihilominus damnum huic vel
isti afferat. Quod si vero dubius est remediorum effe-
ctus: si Experientia ipsa fallax est, ut Hippocrates ait,
quæ tamen totius Medicinæ unicum fundamentum ex-
istit, ipsam Rationem suggerens & firmans, haud *mirum*
subit, nullam artium inconstantiorum fuisse, & etiamnum mu-
tari

tari sepius juxta Plinium Nat. Hist. Lib. 29, cap. 1. Nimirum cessat jam Autoritas Medicorum, & quam præ medicis sibi arrogat prærogativam; cessat ægrorum fiducia in eruditos; cessat reverentia tyronum erga præceptores; quoniam fortuna æque propitia doctis & indoctis esse potest.

Ast, ne quid nimis! Non est inventum humanum, quam exercemus, Medicina, sed Dei Omnipotentis munus. Cave igitur, ne injurius in Creatorem sis benignissimum, qui vires sanandi herbis concessit (saxisque, ut hæc atque similia convertere in usum nostrum queamus, quotiescunque necessitas postulat. Abscondit autem T. O. M. thesaurum hunc, quovis auro pretiosiore & distribuit hinc inde ad instar gemmarum & reliquorum mineralium in terræ gremio delitescentium, ne vilesceret incomparabile donum, sed industria majori acquisitum pluri æstimeretur. Tantum igitur abest, ut vel fragmenta veterum aspernemur, vel modernorum diligentiam in arte amplificanda & exornanda improbemus, ut potius omnes intendamus nervos, quo major indies creditudo artis nostræ innotescat undique! Nec quicquam eiderogat, quod olim paucarum herbarum scientia fuerit, atque ideo multis mutata modis videatur hodie. Quemadmodum ex humili arbuscula successive ardua fit quercus, eademq; numero uva permanet, antehac acerba, post egregie dulcis: ita eadem nunc Medicina est, quæ pristinis temporibus, quanquam maturior ac perfectior censeretur merito debeat. Nec obstat, lites perpetuas foveri ab Autoribus, tantumque dissensum inter eos existere, ut cui fidas non videas. Verbum Dei manet in æternum, quicquid hæretici non numerandi acerrime disputent. Absit, ut hinc maculam inuramus Scripturæ S. cujus autoritatem

X 3

quis-

quisque pessimus pro se allegare solet. Similis error
fat crassus est *Leont. Capuani*, qui, ut incertitudinem Artis
salutaris penitus evincat, aperte asserit, *non tam Medicis,*
quam titubantibus medicina fulcris, s. rationi & experientia
dubiis imputandum esse, quod dissidia nunquam finienda undique
occurrant, cum tamen ad eadem illa principia provocent singuli.
Conqueruntur non pauci de infido successu experimen-
torum; sed in causa est, quod Tentamina crebrius et-
iam instituta distinguere ab experimento firmo nesciant,
in quo circumstantias omnes accuratissime observare
oportet. Ratio autem in foro Medico non est quævis
speculatio vana, ex lubricis forte hypothesebus nata, sed
evidens demonstratio ex certis principiis. Hoc qui de-
siderat, cæcutit in meridie more ulularum. Veritatem
indagare non est excogitare leges naturæ præscriben-
das, mechanicas ridiculasque, sed attendere cum cura,
quid fiat in corpore humano rectum & erroneum; qui-
bus ex causis id contingat: quid valeant simplicia in
conservanda vel restituenda sanitate, atque sic porro.
Dicis: hoc pacto nihilominus summa difficultas habe-
bitur, ut supra dictum, quoniam & subjectorum immen-
sa diversitas, & morborum fat abstrusa dignotio, & si-
gnorum fallacia, & causarum morbificarum varietas, &
deniq; medicamentorum effectus vetant, quò minùs
certitudinem in medendo debitam vel desideratam im-
petremus. Concedimus itaq; non illubentes, medici-
nam esse omnium amplissimam atq; difficillimam. Atqui
ardua sunt, quæ pulchra: nec Artis nomen mereretur
Studium nostrum, si cuivis illiterato atque plebejo pa-
teret. Aurum argentumq; non amittit bonitatem suam,
quamvis in manibus eorum sit, qui mineram ejus tracta-
re decenter latitanque metallum eruere nesciunt: num-
quid magis absurdum est, Medicinam accusare incertitu-
dinis,

dinis, quod Scriptor deprehendatur nullus, qui veritatem ubique affecutus sit, qui non aliquando hæsitet aut erret? Age igitur, sentiamus de Nobilissima hac Arte non nisi optime. Imitemur apes, modo humi repentes dum ignobile quærunt trifolium aut si quid vilius illo, modo ad excelsissimarum arborum summitatem evolantes altius, undique laboriosas & in colligenda mellis dulcedine sedulas. Non pœnitebit industriæ atque conatum, si modo rem serio tractare, nostrumque opus cum cura & necessaria contentione animi facere velimus. Sic tandem fore speramus, ut decori, si non pristino, qui regius quondam ac prope divinus erat, saltem debito restituatur Ars nostra: utque posteritas nostra, fera etiam, suo tempore de majori felicitate ac certitudine illius sibi gratulari queat.

Optant id nobiscum Viri Juvenes Nobilissimi
& Excellentes,

Dn. L. MICHAEL ERNESTUS Ettmüller/
Lipsiensis,

Dn. L. JOHANNES CHRISTIANUS
Lehmann/ Budissa-Lusatus,

Dn. L. BENEDICTUS Gullmann / Augu-
stanus,

Dn. L. ABRAHAM Hoffmann / Lauba-Lu-
satus,

Dn. L. DANIEL HEINRICUS Weidemüller/
Freibergensis,

quibus videlicet proximus dies Jovis destinatus est ad
capessendos ex merito Summos in Medicina Honores,
& quæ in Doctorem cadunt Privilegia. Postquam enim
foli-

solida hujus Artis fundamenta posuerunt, non vulgarem adhibendo industriam usque, dum verum a falso, certum ab incerto discernere, quidve in gratiam ægrorum faciendum sit judicare, didicerint: non potuimus eos defraudare præmiis jure competentibus. Quæ ab ipsis præstanda fuerunt, præstita sunt omnia: bis examinati secundum tenorem statutorum moremque consuetum, erga nos eruditionem suam abunde comprobaverunt: nec erubuerunt singuli publice profiteri, ac disputare solenniter, ut omnibus innotesceret, dignis ad Dignitates istas impetrandas liberrimum esse aditum.

Licentiam igitur assumendi Doctoris insignia iis antehac datam, nunc quoque ratam habere nulli dubitamus; siquidem quod modeste petunt, honestum test. Non morabimur eas diutius, quin potius, ut ritu majorum decenter cuncta fiant, deducemus in Templum Academicum ad celebrandam Panegyrim. Quæ ipsa ut splendidior reddatur præsentia Vestra, Magnifice Academiae Rector, Comites Illustrissimi, ac Proceres utriusque Reipubl. Gravissimi, a Vobis ea qua decet reverentia, contendimus atque precamur. Nec Vestro, Generosi Nobilissimi ac Politissimi Studiosi, applausu carere solennitatem istam decet, atque ideo Vos quoque invitatos humanissime cupimus. Quantum in nobis erit, dabimus operam sedulo, ne vel hoc favoris genus a quoquam Vestrum in minus gratos collocatum videatur.

P. P. Dominica Quasimodogen. 1699.

LIPSIÆ, Literis JOH. GEOR.

ULB Halle


3


006 301 126



V017







B.I.G.

Farbkarte #13

1699, 1
171
5
10:33

DECANUS
SENIOR, CAETERI
RIQUE DOCTORES
ET ASSESSORES
FACULTATIS MEDICAE

In
ACADEMIA LIPSIENSI

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

De
Medicina non conjecturali